

tur. Hoc modo regulæ hæ in compendium contrahi & memoria facilius imprimi possunt.

CAP. III.

*De studio Theologico, & methodo,
qua feliciter & cum fructu illud tractari
potest.*

§. I.

HActenus ostensum est, quomodo futurus Ecclesiæ minister in atrio ad futurum officium sacrum se præparare debeat per notitiam scilicet linguarum maxime sacrarum & sanioris Philosophiæ. Superest, ut nunc ipsa penetralia seu sanctuarium SS. Theologiæ ingrediatur & penitus illud contempletur.

§. 2. Ut hoc fiat cum fructu, sequentia ei observanda sunt. I. Futurus Ecclesiæ minister præmissis ardentibus ad Deum precibus certum tempus impendat necesse est lectioni Scripturæ S. Sicut enim nos per preces Deum alloquimur: ita Deus per verbum Scripturæ vicissim ad nos loquitur & credenda atque agenda nobis revelat.

§. 3. Legenda autem est, præmissis precibus, Scriptura S. non i. eo animo, ut quis præconceptas falsas opiniones in eam inferat, quomodo ab heterodoxis legitur, sed ut quis genuinum sensum dictorum Scripturæ inde hauriat, & seipsum tam in credendis, quam faciendis confirmet & corroboret. Hinc Hilar. l. i. de Trinit. f. 7. eum iudicat optimum Scripturæ S. lectorem, qui ex dictis Scripturæ expectet potius eorum intelligentiam, quam præsumtam aut præconceptam sententiam in eam inferat.